



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XIII. Petri Soti obitus, eiusque ad Pontificem litterae. Aduentus Nauageri Tridentum. Acta à Morono Oeniponti cum Caesare de primis quatuor capitibus arcanæ Ferdinandi epistolæ ad Pontificem, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

nonnisi familiæ suæ commoda promoueri. Ceterum sententias Apostolicæ Sedi propitias proferebat, & rationes præualidas, quippe profundæ intelligentiæ vir, adducebat, ob quas solis Legatis fas esset proponere, & ob quas Pontifex Concilio præcelleret; quod pariter Gallorum aliqui sentiebant, præsertim verò Hieronymus Soucherius Abbas Clarauallensis^m, qui merebatur obtinebatque eximiam existimationem probitatis ac doctrinæ. Quin Fererius, cum animum præferret, vt interdum accidit, præsens regionis suæ regimen improbantem, affirmare non omisit, à se optatum iri in eo rerum statu se Episcopum esse, quò sententiam pro suo arbitratu exprimeret in Concilio, ac palàm faceret, à Gallis, dum, corruptelarum emendatio acriter ab ipsis petebatur, nouas indies induci per maximam offensionem atque perniciem. Non tamen plene sibi persuadebat Gualterius^a, illum ex animo loqui; nam cum Romà reuersus eum nancisceretur sibi cuncta consentientem, nihil ipsi credidit, suspicatus hominem simulare, quò certi aliquid eliceret à Pontifice. Verum ex quacumque suspicione fieri non potest, quin vbi quempiam audimus dicentem efficaciter in rem nostram quæ vera sunt, & ad persuadendum alijs idonea, ea credamus ex animo ab illo dici, sibi que persuaderi.

1563.

^m Epistola
Gualterij ad
Borromæum
26. Ap. 1563

ⁿ Arcanæ no-
tæ Gualterij
ad Borrom.
11. Martij
1563.

C A P V T XIII.

*Petri Soti obitus, eiusque ad Pontificem litteræ. Aduentus Naua-
geri Tridentum. Acta à Morono Oeniponti cum Cæsare de pri-
mis quatuor capitibus arcanae Ferdinandi epistolæ ad Pontifi-
cem, supra memoratæ; hoc est, de Synodi diurnitate; vbi disse-
ritur de suffragijs pro nationum numero computandis, de
suspensione, de libertate, & de communicatione à Legatis cum
Pontifice usurpata.*

Res memorabilis, quæ id temporis accidit, narrationem nostram à Gallis ad Hispanum conuertit. Fuit hic Petrus Sotus, de quo plurima à nobis habita mentio. Summam ille obtinebat existimationem seueræ probitatis, solidæque scientiæ: & vtramque suorum Hispaniensium Episcoporum sententiam semper sustinuerat, nimirum, mansionem auctoritatemque Episcoporum esse iuris Diuini. Porro cum in morbum grauissimum incidisset die decimoseptimo Aprilis, post quem tres tantum dies viuis superfuit, alieno chirographo ad Pontificem scripsit epistolam;

Pars III.

H h h

eiusque

oria
ly Trid.
s III.

1563. eiusque sententiæ similes è Soto voces à se paulò antè auditas testatus est Vincentius Iustinianus, tunc supremus illius moderator, ac postea Cardinalis. Hæc epistola statim ^a Tridenti vulgata, ob rei argumentum, hominisque conditionem, celebris postea per vniuersam Europam euasit. In ea Pontificem ille hortabatur, pro ea fide gratoque animo, quem extrema illa hora ab ipso postulabat, ad dandam operam, vt definiretur, cuiusnam iuris esset mansio tum Episcoporum, tum reliquorum Ecclesiæ ministrorum, curaretque eam seruandam, alio prouentuum genere extra episcopatus Cardinalibus attributo; & non minus, vt declararetur, institutionem auctoritatemque Episcoporum esse iuris Diuini: non conducere Sedis Apostolicæ dignitati aliorum abiectionem. A se uiuente ac moriente affirmari, summum Pontificem cunctis Concilijs superiorem esse, nec ab illis vllâ ratione iudicari posse: opportunum à se censi, vt id pariter aperte definiretur; contrarium siquidem in seditiones, bella & schismata manifestò tendere. Duo simul Pontifici commendabat, Ne consentiret, vt cuiquam facultas traderetur suscipiendi sacros Ordines à quouis Episcopo, cum expediret Ecclesiæ bono, vt id Ordinario reseruaretur; & Ne in sacerdotijs distribuendis suam suorumque ministrorum utilitatem quæreret, sed animarum salutem, & Ecclesiarum emolumentum. Denique huiusce libertatis suæ veniam precabatur.

^b Diarium 28
& litteræ Legat. & Vicecomitis ad Borromæum 29. Ap. 1563

Soti mors, coniuncta cum perfecto religiosæ pietatis exemplo, summoperè displicuit Concilio, cui visum est relinqui velut in infausa caligine, adempris sibi in omni genere quibusdam è suis maximis luminaribus. Sed pro eo quod accidit rerum mortalium vicibus, iacturæ mœstitia lucris gaudio compensabatur, ac ferè continenter, hoc est, 28. Aprilis, magna facta est lucis accessio Nauægeni aduentu. Priuatim ille ^b lecticâ vectus, post primas noctis tenebras intrauit, electâ sibi horæ obscuritate, ne vlli pompæ splendori esset accommodata, atque eadem de causâ prænuntiatum aduentus diem vno die anteuertit. Ratio quæ hominem ad hoc impulit, ea fuit, ne certamen de loco excitaret inter duorum Regum Oratores, qui ipsi obuiam ituri fuissent.

^c Acta Paderborni.

Sed summa rerum Tridentinarum extra Tridentum tunc verti videbatur, nimirum Oeniponti, in ijs quæ à Morono cum Cesare agitabantur. Noluerat ille Præsulem vllum Synodi secum adducere, ne Germani sibi persuaderent, ab eo non dici quæ suggererentur ab ipsius iudicio, Synodi contentionum integro, sed ab alicuius instigatione, qui studio, animique commotione iam illis esset

esset addictus. Sed dein missus ad eum est Promotor Castellus, qui, 1563.
vbi opus foret, rerum gestarum notitiam illi subministraret.

4 Mandata, quæ Româ secum ferebat, vertebantur in sententia arcana epistolæ, à Cæsare scriptæ ad Pontificem, qui in breui iam missa responsione, sicuti dictum est, se ijs remittebat quæ amplius à Legato exponenda erant. Quare mandatorum libellus, præter officiosum proëmium, in varia capita distinguebatur, memoratæ epistolæ capitibus respondentia. Nos verò quò lectores melius aptiusque rem intelligant, in singulis capitibus subinde ponemus ea quæ Morono responsa, & quæ ab ipso superaddita fuere, cum apud nos extet eorum summa, iussu Ferdinandi ab ipsius ministris desumpta, & etiam monumenta à Morono seruata.

In primo mandatorum capite sermo erat de Concilij diurnitate, quæ dicebatur non minùs Pontifici, quàm Cæsari displicere, cum inde innumera damna sequerentur, periculum amittendæ indies nouæ alicuius Prouinciæ, vti tunc in Gallia contingebat; Patrum dissensio, adeoque tenuis æstimatio Synodi; sumptus supra vires tum Apostolicæ Sedis, tum ipsorum Episcoporum; Ecclesiarum detrimentum ex Pastorum absentia; magnæ perturbationis discrimina, si deficeret vita Pontificis; grauissimæque iacturæ, si decederet Cæsar, in cuius patrocinio ac religione Synodus nitebatur; agendi licentia, quæ ibi indies gliscebatur, periculum tum intestinæ discordiæ, quam aliquis improbus excitaret, obtento studio Ecclesiæ reformandæ; tum alicuius tumultus, qui Synodum præcideret, & fructu vacuam redderet.

5 Enumeratis diurnitatis incommodis, eorum causæ patefiebant, & remedia proponebantur. Causas fuisse, suffragiorum multitudinem, prolixitatem sententiarum dicentium, qui sæpè vt in argumenta noua ingrederentur, è propositis egrediebantur; discordias inter Patres ex huiusmodi digressionibus profectas; superiora Oratorum Gallorum postulata, vt Lotharingus, eiusque comitatus expectarentur, vtilitatem eiusdem Cæsaris, qui optauerat vt definitiones protraherentur, donec in Comitij Francofurti Maximilianus eligeretur; subsecutas Gallorum petitiones, vt alij suæ nationis, & Angli etiam ac Germani expectarentur; nouas quæstiones inter Theologos ad trutinam adductas, cum vera dogmata ab hæreticis oppugnata firmanda essent; mandata plurima Oratorum, quæ ita sibi tradita suis à Principibus affirmabant, vt ab illis digredi non possent absque nouo mandato, vnde non parum moræ creabatur; aliquorum postulationes, vt argumenta iam proposita iterum pro-

oria
ly Trid.
s III
V

1563.

ponerentur, sicut in præsentia contingebat Gallorum postularis, quorum multa alijs temporibus expensa ac decreta fuerant; aduersam operam à quibusdam nauatam, occultis forsitan fautoribus Lutheranorum, adeoque satoribus litium ac turbarum, quod similiter accidere consueuerat in Germaniæ conuentibus; mutationes quæ in dicendis sententijs fiebant in rebus propositis, perinde ac euenerat in capite de mansione, in quo proponebatur vt Decretum formaretur de disciplina, & complures rem ad Fidei dogma redigere cupiebant.

Ad id reparandum proponebatur, vt in posterum eiusmodi causæ remouerentur. Quod confectum fuisset, vbi Cæsar cum Pontifice reuera coniungeretur, iuberetque Oratores suos opitulari Legatis; vnde fieret, ne inducerentur in Synodum nouæ dogmatum disputationes, & idcirco ad solas controuersias cum hæreticis operam conuerterent. Præterea, vt emendationis articuli de communi consensu proponerentur, nec liceret cuilibet noua volumina in medium proferre, quod in causa erat, vt eadem res sæpius in questionem rediret. Secundum Decretum primæ Sessionis concordie obseruantia custodiretur; adeoque à Legatis proponeretur tempori quod opportunum erat, & à Principibus optabatur: vt ea morum emendatio, quæ ad Aulam Romanam ac Magistratus spectabat, acciperetur quo pacto illam statuisset Pontifex, qui rigido intentoque animo illam ordinabat; nollentque in disputationem illic adducere, vbi perpauci negotia illa callebant: nec Principes, eorumque ministri, sectas & conuenticula Præfulum sibi conferrent, singulis libertati suæ conscientiaque relictis, quemadmodum à Pontifice relinquebantur. Ipsi quoque Principes boni consulerent rationem aliquam, quæ excogitaretur ad recidendam prolixitatem in sententijs explicandis.

Ad hæc Cæsarei dixerunt: Cùm causæ potissimæ diuturnitatis essent tum negotiorum tum hominum multitudo, duo videri opportuniora temperamenta. Quod spectabat ad priorem causam, ne disceptaretur de ijs, quæ in sacris Litteris & Concilijs habebantur, ab hæreticis non oppugnata. Quod verò ad posteriorem, vt vni docti ac pij ex quauis natione seligerentur; quod Cæsar intendebat usurpatum fuisse in varijs Synodis antiquis ac recentioribus, quodque in conuentibus laicorum fiebat: hoc etiam pacto plurima diuersa eodem tempore concoquerentur à diuersis cœteribus, & cuilibet priuato capiti fas esset significare delectis Patribus quæ sibi in mentem venirent de illis peculiaribus argumentis; dein ab ipsis hæc

hoc pacto concocta ac digesta, ad generalem conuentum refer- 1563.
rentur.

8 Primum à Morono acceptatum est, sed simul agnitum, haud satis fore. Alterum eidem visum est ad ea absurda & schismatis pericula tendere, quæ consecuta fuissent ex potestate iudicandi, nationum numero, non autem capitum attributa, contra antiquitatis vniuersæ consuetudinem. Quare cum ille satius duceret possessionem sine pugna seruare quam vincere, contentionem declinauit, & vniuersæ respondit: Propositam à Cæsare rationem iam vsurpatam fuisse, & vsurpandam fore quantum æquum erat & congruens, quando designati fuerant cuiusvis nationis Episcopi ad conficiendum librorum indicem, & corruptelas colligendas; & insuper constituebantur in reliquum à Legatis peculiare cœtus, cum accepta, cum opus erat, ab vniuerso conuentu potestate.

9 Pergebatur in mandatis: Vt certus fieret Cæsar, Pontificem suspensionem nolle, quamquam ille à summis Principibus intuitaretur, in eo ipsum proposito persistere ex mero boni publici studio, non ex metu mali, quod aliter immineret ex proprijs nationum Synodis; illis siquidem nocentiora erant Comitia & Edicta, re ipsa à Principibus fieri solita. Ex altera parte, non esse cur quispiam suspicaretur, ab ipso suspensionem optari, quod morum correctionem euitaret; hæc enim optabatur à se, etiamsi quouis infortunio Synodus dissolueretur: suumque apud animum statutum esse, effecturum se, ut vbiicumque posset ea seruaretur. Id iam experimento probari per complura diplomata à se promulgata, & quorum exempla mittebantur ad Cæsarem, solius mali, non item boni consilium. His nihil opponendum occurrit Cæsari.

10 Tertium caput erat de libertate. Eam, quod spectabat ad Pontificem, adeo inuiolabilem fuisse, ut Patribus permitteretur sententiam etiam licentiùs promere. Audiri libenter à Legatis quemlibet Episcoporum, etiam priuatim de agitata argumentis: designari peculiare cœtus pro Concilij voluntate; res in consilium cum Oratoribus adduci, antequam proponerentur, easque ex ipsorum arbitratu sæpè reformari. Quod si quâ ratione dici posset in Concilio libertas lædi, id mandatis, à quibusdam Principum missis ad suarum Prouinciarum Episcopos, esse tribuendum; ac proinde Legatus petijt vt huic incommodo consuleretur.

11 Responderunt Cæsariani, Cæsarem à conscientia non argui, quod villa vniquam dedisset mandata paucis illis Concilij Patribus sibi addictis, vnde ipsorum libertas minueretur: de reliquis Principibus

oriae
ly Trid.
s III.

1563.

pibus sibi satis compertum non esse : quod si id accideret, oportere Legatos conqueri cum ipsis Oratoribus ac Principibus, vbi id opus erat. Offerre Cæsarem, se imperaturum suis Oratoribus, vt in eo studia Legatorum adiuuarent, paratoque esse animo ad suam etiam operam per seipsum impendendam, vbi hoc à se flagitaretur. Ita se sperare, Pontificem pariter integram libertatem concessurum Præsulibus Pontificiæ ditionis, alijsque quibus ipse subue niebat. Etenim, si apertiùs loquendum sibi erat, aliquod ea de re murmur obstrepere, & aliquam querimoniam, tamen si longè aliter Cæsar sentiret, quem probitas ac recta mens Pontificis non latebat.

De his Moronus: Huiusce murmuris falsitatem deprehendi posse ex tenore sententiarum, quas memorati Præsules edixerant, quando eorum complures acriter promouerant opiniones illas, à quibus potissimum abhorrere Pontifex dicebatur: libenter excipi à Legato oblatam à Cæsare operam suis Oratoribus adhibendam, ac sperari, auctoritatem Cæsaris & exemplum ad permouendos reliquos vim habitura.

Post hæc in mandatis accusatio purgabatur, quod Præsides de omni & qualicumque re Pontificis sententiam exquirerent. Dicebatur: Si ministris omnibus consuetum erat, suum principem de rebus gerendis edocere, multo magis id obseruandum esse à Legatis erga caput Ecclesiæ in rebus Religionis; cum semper in more positum fuerit, vt Summus Pontifex de grauioribus argumentis certior fieret. Hinc non adimi libertatem, quandoquidem Decreta pro maiori suffragiorum numero firmabantur. In veteribus Concilijs, vt in Chalcedonensi & Constantinopolitano, non solum fuisse permissum vt res cum Summo Pontifice communicarentur, sed acceptam illius sententiam à Patribus fuisse subscriptam. Antiquos illos ac religiosos Imperatores consueuisse suis subditis imperare, vt Fidem sequerentur, quam Damasus, Agatho, alijsque Romanis Pontifices retinebant. Tantum in præsentia non postulari à Pontifice, Legatisve; sed vt maiori Patrum numero sanctiones committerentur.

Ad ea responsum à Cæsare: Quamquam auctoritas constituta in Ecclesia Decreta Fidei & emendationis, in Romano Pontifice præcipuè tamquam in capite resideret; tamen ab ipso in membra quoque ea deriuari: idcirco consuetudinem fuisse, maximas controuersias, etiam in Romanis Concilijs decisas, iterum Oecumenicis remitti. Hoc posito, nequaquam à Cæsare sibi arrogari potestatem ea de re definiendi, nec velle, sicuti dici solet, in cælum

os

os ponere; sed quando cupere Legatus videbatur Cæsaris iudicium audire, illud huiusmodi esse: Si quid noui negotij accideret in Concilio præter ea quæ in diplomate conuocationis legebantur expressa, de eo consulendum esse Pontificem; sed super alijs rebus, à se iam præiudicatis, & de quibus credendum erat plenissima mandata fuisse ab ipso tradita Legatis, viris eximiâ fide ac prudentiâ, posse in eorum & tot præstantissimorum Patrum iudicio eas reponi: aliter à se dubitari, ne exclamaretur, haberi Concilium non Tridenti, sed Romæ, nec ad Decreta Patrum operâ, sed tabellariorum deueniri.

15 Contrâ verò Legatus: Fieri non potuisse, vt res tam multæ, & à tot ac tam varijs ingenijs pendentes, præiuderentur, nisi generatim & confuse; cum tamen prudentiâ Decreta recidant in peculiare ac definitum, adeoque necessarias esse nouas illas peculiareque communicationes; & singulos Principes proportionem necessitatem illam experiri in arduis negotijs, quæ à ministris à se longinquis agitantur. Ex eo nullam adimi libertatem in decernendo; hanc numquam à Pontifice præpeditam fuisse. Quod si mansionis articulus definitus non fuerat, id non Pontificis veto, sed Patrum discordiâ tribuendum.

Conflagrant homines tam anxio libertatis, hoc est dominationis amore, vt existiment illam sibi adimi, ex eo solum quod possit adimi; adeoque grauis quasi prohibitio illis est, quod velit superior de illorum operibus prædoceri, quia per id aptus redditur ad ea prohibenda, tamen non prohibeat.

CAPVT XIV.

Alia in mandatis Moroni contenta. Ab eo cum Cæsare agitata de particula, proponentibus Legatis. De diuisione à Cæsare in suis litteris habita Episcoporum diuitum ac pauperum, qui Synodo intererant. De reformando Ecclesiæ Capite. De promouendis Cardinalibus & Episcopis: & de ipsius Cæsaris aduentu Bononiam.

1 **Q**Vinto loco agebatur in mandatis de particula tam oppugnata, *proponentibus Legatis*. Monebat, eam solemniter à Patribus firmatam fuisse tantâ concordia, vt si postea reuocaretur, infringeretur auctoritas Concilij, & irrisionis argumentum præberetur hæreticis, quodam tramite patefacto, qui ad nullum terminum quæstiones deduceret. Nec idcirco magis liberum eua-
surum

Historia
Concilij
Tridentini
Lib. III.